[1]

MICHAELSON

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

GONORRHOEA VIRULENTA:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. JOANNIS GOWDIE,

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *consensu,*
Et nobilissimae FACULTATIS MEDICAE *decreto;*

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THO. MICHAELSON, ANGLO-BRITANNUS.

Ad diem 16 Junii, hora locoque solitis.

Quin etiam illud
Accidit, ut cuidam testes, caudamque salacem
Demeteret ferro. Hor. sat. 2. l. 1.
Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas. Hor. ep. 1. l. 1.

EDINBURGI:
Apud HAMILTON, BALFOUR, & NEILL,
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

ROBERTO MICHAELSON,

ARMIGERO,

JUVENI EGREGIAE SPEI,

FRATRI AMANTISSIMO,

QUI SEMPER PATERNUM OSTENDIT ANIMUM,

MORES EXEMPLO FORMANS,

STUDIA LIBERALITATE PROMOVENS;

PRIMITIAS HASCE

GRATO OFFERT ANIMO

THO. MICHAELSON.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

GONORRHOEA.

QUUM legibus hujus Academiae ſancitum ſit, ut unuſquiſque honoris Medici Candidatus ſcientiae peritiaeque ſuae ſpecimen ederet, argumentum quoddam obvium et utile ſeligere, quàm obſcurius et inutilius ingenio, quod fateor eſſe exiguum, excolere melius fore putavi.

Nullus eſt ferè morbus Gonorrhoeâ Virulentâ vel frequentior vel infeſtior, nec in quo magis confirmatur veritas primi HIPPOCRATIS aphoriſmi, ubi haec habet verba: "Vita brevis, ars longa, "occaſio celeris, experimentum periculoſum, ju-"dicium difficile." *Gonorrhoea* derivatur a γονυ *genitura*, et ρεω *fluo*.

Saevi hujus morbi, etsi ab anno 1493 in Europa cogniti, feliciter sanandi methodus (tam parvos fecit medicina progressus) ad saeculi hujus initium usque latuit.

An in Asia, Africa, vel Europa, ante hoc tempus, sese patefecerit, in re tam antiqua, affirmare difficile est. Inter omnes autem qui de medicina, aliisque rebus ea aetate gestis, aliquid scripserunt, constat, tabem hancce ex Hispaniola in Hispaniam, anno 1493, a Columbo delatam esse. Anno sequenti, Neapoli a Gallis obsessâ, milites Hispani ad auxilium ejus missi morbum hunc secum apportarunt, foeminasque Neapolitanas veneno infecerunt; hae vicissim Gallos, qui sordes hasce, morumque pravitatem et luxum citò per totam Europam vulgabant.

Eodem ferè tempore in Asiam et Africam invectus est hic morbus a Judaeis et Mahometanis quibusdam, qui ex Hispania a Rege Ferdinando in exilium acti erant.

Varia

Varia ſortitus eſt nomina a variis gentibus unde manabat; ideoque, apud nos, qui a Gallis eum accepimus, *Morbus Gallicus* appellatur.

Sub primum ejus indicium, latè evagata eſt vis morbi, utpote * medicis, aequè ac aegris ignoti, horrendamque ubique edidit ſtragem: † hodie verò multò mitior lentiorque evaſit; adeoque efficacibus oppugnatur remediis, ut ASTRUCIUS, etſi falſus videatur eſſe vates, a regionibus noſtris ſeptentrionalibus omnino diſceſſurum eſſe crediderit; ſed adhuc nimis viget, ſemperque, ni fallor, dum homines libidinibus ſerviunt, quodammodo vigebit: minore tamen cum periculo, faciliuſque hoc monſtrum debellari poſſe ſperare indies liceat.

De veneni hujus venerei natura, inter auctores non omnino convenit. Omnia certè argumenta quaquaverſum adducta cautiſſimè ponderanti ſatis obſcura dubiaque videbuntur, ut ‡ ASTRUCII, de acida vel acido-ſalſa hujus veneni natura, et || HOFFMANNI ſententia, vim nocivam deberi particulis quibuſdam ſepticis, putreſcentibus forſan et

* Vid. Laur. Phriſ. Aphrod. tom. I. p. 146.

† Sydenham. p. 328.

‡ Vid. tom. I. p. 126.

|| Vid. Med. Syſt. Rat. tom. iii. p. 415. § *viii: ad x.*

et fermentationibus; nec mirum, si de subtilissimis istis venenis oculorum aciem fugientibus, quorum minima miasmata in corpora nostra inducta, tam miras diversasque noxas producunt, adeo parum lucis * principibus in arte medica viris affulgeat. Cùm hujusmodi experimenta adeo sint difficilia et incerta, ex hisce demonstratio nondum patet, et vix unquam patebit.

Etsi omnes medici, qui circa finem saeculi 15 vel initium 16 vixere, uno ore consentiunt, hunc esse morbum novum, aequè tamen dissentiunt de causa ejus et origine; aliis ad stellas noxias et maleficas; aliis ad coeli intemperiem; aliis ad victum insalubrem; aliis ad foeminas leprâ laborantes; aliis, denique, ad abscessus in vagina decurrentibus. Sed haec deliramenta imaginaria et superstitiosa tandem abolevit vetustas; et celeberrimus † ASTRUCIUS multum laboris impendit absurditates hasce refutando. ‡ Medici quidam recentiores, nec ignobiles, ab attritione accedere, et foeminam sanam cum sanis etiam viris, nimio tantum et promiscuo coitu, corripi hoc morbo posse, putarunt.

* Vid. Glaub. Pathol. p. 245. de Potentiis quae virus habent.
† Tom. 1. p. 67.
‡ Vid. Springel. § xvii. Aph. 1.

tarunt. Sed reverà dubitari poteſt, an haec ſit vera cauſa necne. Si antiquis Hiſtoricis et Poetis credere fas ſit, longè antequam cognoſceretur hic morbus, apud antiquos aequè invaluit luxuria, ac hodie apud nos; et, ſecundùm quoſdam auctores, quo plus homines ſapiunt et ſcientia promovetur, eo minus barbariei, eo major morum elegantia.

Alii hunc morbum hominibus immiſſum eſſe credunt, qui cupiditates noſtras effrenatas regeret, et in ordinem coerceret, ut TULLIUS alibi obſervat: "* Neque ſine magna utilitate conſtitutum eſſe videtur, ut homines caſtigationibus affici ſe in delictis dolerent." Sed arcana DEI conſilia nimiâ curâ perſcrutari non hujus eſt loci; et praeterea, eſſet impium et profanum: nos potius inquiramus quid factum ſit, quàm quid factum eſſe oportuerit.

De vero modo quo venenum hocce in urethram invehitur, graviſſimus eſt inter auctores error; et mirum quidem eſt, magnum BOERHAAVIUM et ASTRUCIUM, homines aliàs ſubacti judicii, in re hujus momenti, adeo hallucinari, praeſertim quum

* Vid. Tuſculan. Quaeſt. lib. 4.

quum hâc ritè cognitâ, tantum curandi methodus illuſtraretur.

Boerhaavius per poros, Astrucius per lymphatica, infectionem accipi putavit; ſed, pace tantorum virorum, dixerim, uterque mihi hallucinari videtur: ſi enim per poros, glans tantum afficeretur, ſi per * lymphatica, ad glandulas inguinales vel ductum thoracicum deveheretur, et lues cum bubone produceretur, quae omnia ſaepe vidi ſine Gonorrhoea. Penetrat potius per aperturam vel rimam penis, et hoc experientiae conſentaneum eſt; et nonaginta novem ex centum qui hoc morbo laborarunt, obſervaſſe ſummam penis partem primò affectam eſſe, affirmare auſim; quam, experimenti causâ, ſi quis premat, et leniter quodcunque fluit exprimat, tunc, paulo altius progrediendo, iterumque exprimendo, nullum recentem humorem obſervet; inde credere fas erit, partem ex qua materia fluit eſſe partem affectam, quod magis conſtat ex dolore erectionis et dyſuria, quae nunquam ſentitur, donec urina ad locum illum perveniat; et haec opinio illam partem urethrae primò Gonorrhoea affectam eſſe, a magno

Boer-

* Vid. clar. Monro jun. Diſſert. de Lymph. Valv.

BOERHAAVIO hiſce verbis confirmatur: " * Prima " et mitiſſima ſpecies eſt, quando cancer venereus " ſive ulcuſculum illud ſaniem fundens in urethra " intima, haeret ad illum locum ubi glandi com- " mittitur fraenulum praeputii, nec ulterius pro- " ſerpit malum. Primam ſpeciem Gonorrhoeae ſic " diſtingues; veniat ad te aeger matutino tem- " pore, antequam urinam nocturnam eminxit; " jube tunc ut digitis proximè ipſam glandem ap- " plicatis, eam exprimere conetur, tunc tu vi- " dens materiam exire, cognoſces eſſe in illa parte " cancrum venereum; ut autem ſcias an et altius " proſerpat malum, jube paulo magis retro glan- " dem premere incipiat, ſicque videbis quouſque " pertingat." Nec difficile erit concipere quomo- do in urethram devehatur, ſi magnam copiam mu- ci, veneno venereo impregnati, in vagina tempore coitûs fluitantis conſideremus, hic mucus glandem undequaque complectitur, cujus pars quaedam ne- ceſſe deponatur in parte illa urethrae leviter com- preſſae quâ adeſt ejus mucus qui † eſt nidus motui inteſtino aptiſſimus, et quouſque hic motus ſeſe ex- tendere poteſt, eouſque morbus urethram penetrat.

De

* De Lue Venerea.

† Vid. Aſtruc. lib. i. p. 134.

De morbi hujus ſede nec inter auctores convenit. Diſſectiones a variis medicis et anatomicis factae, quibus eam facile ſtatuere viderentur, extra controverſiae aleam hanc rem minime ponunt: quia * veſiculas ſeminales tumidas, inflammatas vel ſuppuratas, † proſtatas ex magna parte ulceratas ſanioſum virulentumque ichorem emittentes, ‡ eaſdemque inflammatas et ſuppuratas, || ulcera vel calloſitatem in corporibus inciſis invenerunt, unde Gonorrhoeam a ſingulis hiſce oriri exiſtimarunt. ** Boerhaavius cum corpora quorundam qui ex hoc morbo periere, cultro anatomico ſubjeciſſet, partes tumidas quidem, ſed non eroſas invenit, inde Gonorrhoeam ab auctis lacunarum orificiis deduxit: et haec ſententia apud recentiores anatomicos et chirurgos, qui varia corpora ad hanc rem conſtituendam apta diſſecuerunt, aliis palmam praeripuit. Multa quidem ſunt quae me inducunt, ut veſiculas ſeminales nunquam affici credam:

* Vid. *Memoires de l'Academie des Sciences*, anno 1711.

† Vid. Vigeri de Chirurg. lib. 3. cap. 60.

‡ Marc. Aurel. Severin. Vid. Barthol. Hiſtor. Centur. 2. Hiſt. 36.

|| Vid. eundem.

** Nam quoties in caſtris datur occaſio cadavera aperiendi, inventum, quod Gonorrhoea non erodat, ſed tumorem tantum faciat. Vid. Praelect. Acad. de Morbis Venereis, p. 27.

credam: Gonorrhoea a ſimplici uſque ad inveteratam, odorem ſemper foetidum mucoſum; ſemen verò fortem * volatilem, a priori facile diſtinguendum, habet. Praeterea, vix credibile eſt, Teſtes tantam ſecretionem facere, vel veſicularum ſeminalium ductus adeo relaxari, ut continuo humores effundant, quod in Gonorrhoea fit. Porro, vix concipi poteſt, homines tantam ſeminis liquoris adeo elaborati jacturam, ſine maximo damno, ferre poſſe: ſed experientiâ conſtat, Gonorrhoeam copioſiſſimam ſine illis ſymptomatibus, quae ſeminis magnum diſpendium comitantur, ut in veneri nimis indulgentibus obſervare licet, per menſes aliquot duraſſe. Proſtatae, ni fallor, rariſſime afficiuntur, etiam cum aliquamdiu morbus duraverit; dyſuriâ enim, glandem premendo, &c. ut ante memoravimus, p. 7. penis extremitas hujus morbi ſedes frequentiſſime eſſe videtur. Utrum autem urethra anguſtior reddita apud partem glandis ſuperiorem, morbi progreſſum ſiſtat, affirmare vix auſim, quanquam veriſimillimum eſſe videtur; ſemper enim obſervavi virus progreſſum ſolito celeriorem per urethram feciſſe in iis qui *bougies* uſi fuerunt ut urethram latiorem redderent, quodque longius confirmatur, glandem premendo, et dyſuriâ altius in pene

* Haller. Prim. Lin. Phyſiolog. p. 518. § 790.

ſentitâ. Ni tumor adſit, multa me incertum reddunt, an ulcera exiſtant, etſi apud pleroſque ea ut Gonorrhoeae fontes traduntur. Ulcera venerea, in aliis corporis partibus occurrentia, arida ſunt, et nullo, vel minimo ſaltem humore madent. Praeterea, Gonorrhoea inveterata, ni tumor adſit, injectionum aſtringentium uſu, ſiſti poteſt, quod vix fieret, ſi ab ulcere originem duceret: ulcus enim ſubſtantiam amiſſam ſupponit, quae, quamvis minima, tam brevi tempore nunquam reparari poteſt. Ulcera forſan quae in externa glande occurrunt, hîc objici poſſunt; ſed conſiderandum venit, quod virus in urethra in ſtatu diluto eſt, et continuo è corpore aliquatenus ſaltem ſecretionibus auctis eliminatur, dum virus cryptis glandis adhaerens, in ſtatu intimo et arctè convenienti, et ſine ulla dilutione, ſervatur, et forte majorem acrimoniam liberiore aeris acceſſu acquirit: morbus aliquando, ſine damno partibus interioribus illato, contrahitur. Sic * SYDENHAMUS, non ab urethra, ſed poroſa ſubſtantia glandis ſine ulceratione ejus vel praeputii egrediente, obſervavit. Hoc ſaepe occurrit, et ipſe aliquando vidi. Sed vir ille magnus, alioquin ſagaciſſimus, et de republica medica optimè meritus, hac re deceptus; corpora

* Vid. p. 329.

corpora ſpongioſa ſedem eſſe morbi, et neceſſariò corrodi et ulcerari, priuſquam virus in urethram penetrare poteſt, decrevit: ſed materies non a ſubſtantia glandis, ſed cryptulis quae eam accingunt, excernitur.

Hoc analogiâ confirmatur; nam in aliis corporis partibus quae mucum ſecernunt, propria veneni venerei ſedes eſſe videntur: ſic confirmata lues in palato, naribus, faucibus, mammis, &c. ubi hae glandulae in magno numero adſunt, imprimis apparet. Si ex analogia judicare licet, et a ſymptomatibus antea memoratis, quaeque a * BOERHAAVIO celeberrimo ſigna certiſſima exiſtimantur, concludendum eſt, materiam plerumque a cryptulis parvulis partis urethrae inferioris, et rariſſimè a proſtatis glandulis COWPERIANIS, &c. profluere. Nihil obſtat huic opinioni magna copia materiae excretae; nam experientiâ conſtat, glandulas ejuſdem generis, ab acri humore in folliculis ſtagnante, vel iis

* In omnibus caſibus commendo, ut bene attendatis, an Gonorrhoea ultra hos limites ſe extendat; videbitis urinam, matutino tempore exceptam, ſaniſſimi hominis ſpeciem induiſſe; ſed poſtquam premat glandem, omnem affert materiam; quia noctis quiete omnis collecta materies aſſervatur, quae poſtea quaſi ſcabrae anguillae lotii inſtar expellitur, et hoc ſignum infallibiliſſimum. Boer. Praelect. Acad. de Lue Vener. p. 27.

iis applicato, et ductus eorum excretorios ſtimulante, magnam humorum copiam ſaepe effundere, ut in catarrho, quadam opthalmiae ſpecie, et fluore albo. Denique, Gonorrhoea in duas ſpecies dividi poteſt; Mitem, nempe, et Inveteratam; illa deſtillationem a cryptis urethrae ſine ulceratione, haec proſtatas occupans, tumorem, ulcus, &c. creat. Omnia ſymptomata ab una vel altera progredi poſſunt, quamvis, ſecundùm morbi virulentiam, aegrique habitum, diverſumque partium affectarum ſitum, variari poſſunt, et mitis in inveteratam degenerare poteſt.

Quarto plerumque die, a veneni venerei contactu Gonorrhoea apparet, aliquando citius tardiuſve, pro veneni inficientis copia vel virulentia, aegri corporis habitu, aut victûs exercitationiſque genere. Cum primò pateſcit, lympha candidula vel ſerum viſcidum ex urethrae extremo leniter profluit, orificium conglutinatur, et rubrum calidumque fit, latiuſque dehiſcit, cùm interim canalis paulo altius anguſtior redditur.

Æger urinam reddendo titillationem ſentit, non ſine calore quodam dolorem ſenſim afferente; praeputium ſine magno dolore tumet, glandulamque

arctè

arctè complectitur; fraenum contrahitur, tactuque dolet; acribus et pungentibus doloribus glans excruciatur; erectio crebra et involuntaria fit, praecipue cum aeger lecto calet, vel tempore calido; ſtrictura urethrae violenta eſt, et penis deorſum flectitur; materia vel purulenta, viridis, flava, alba vel cineritia, et ſanguineis maculis diſtincta, copioſius fluere incipit.

RATIO SYMPTOMATUM.

Materiae inficientis particulae acres, glandulas quas intraverunt ad vibrationes crebriores violentioreſque, liquoriſque majori copiâ quam in ſtatu ſano effuſionem excitant, dum interea venae bibulae, quae arteriis exhalantibus reſpondent, quaeque pateſcunt in folliculorum cava, ſolito haud copioſius humores reſorbent. Mucus tenuis, et magnâ copiâ fluit; quia diutius manere et craſſior fieri non licet; ſed ab hoc ſtimulo, ſimulac ſecernitur, ejicitur. Muco, qui urethram lubricam reddere ſolebat, aſſumpto et abluto, urinae ſalinae partes urethram, quae tunc ſolito magis tenditur, et minima quaeque ſentit, attingunt et rodunt. Primò, hoc gratam efficit titillationem; poſt mucum autem ablatum, et partes

partes nervosas magis detectas, sequitur dolor pungens et fervidus. Simulac virus urethram attingit, contractionem et tensionem ejusdem inducit, quod et omnia alia acria faciunt; virus per fraenum decurrens, fraeni contractionem et tensionem quoque facit; unde dolor erectionis tempore, et penis deorsum flexio (*cordee* vulgò dict.) oriuntur; urethra tali modo contracta, stricturae et interdum ischuria inducuntur, virus glandis nervos exquisitos irritans, crebras et involuntarias facit erectiones.

Glandulis ita inflammatis, propter arteriarum vibrationes crebriores et violentiores, secretiones erunt copiosiores, et magná vi materia vasis secretoriis ejicietur. * Analogiâ constat, nihil in glandulae cujusdam fabrica esse, unde secretio eadem semper oriri possit; velocitate enim solito majore minoreve, vel nervorum stricturâ, longè alios liquores glandulas, quam cum sanae sint, effundere posse, negandum non est; indeque oritur materia viridis, alba, &c.

Gonorrhoea, multis de causis, nihil aliud esse videtur, quam veneni venerei excretio critica a Natura

* Haller. Prim. Lin. Physiol. p. 126. § 220.

Natura destinata, et menstruum ad virulentiam ejus dissolvendam, et per urethram expellendam; et itaque perstat donec virus removeatur, ni causa aliqua sistatur. E centum Gonorrhoea virulenta laborantibus, nonaginta pristinam sanitatem recuperaturos, et virulentiam ultro discessuram esse, credo; (modo non sint valde irritabiles) nullâ aliâ ope adhibitâ, nisi liquores emollientes, refrigerantes et diluentes, copiosè bibendo, partes nitidas servando, victu tenui et parco utendo: hujusmodi exempla vidi. BOERHAAVIUS fluxum contra mala pejora tutamen esse censuit; hoc autem fieri non potest, nisi virulentia hoc modo sit subacta. Postquam virus expulsum fuerit, inflammatio, calor, dolor, aliaque morbi symptomata, eadem ratione minuuntur, fluxus quotidie minore copia prodit, crassior, albior fit, ac deinde omnino cessat, cum pristinam sanitatem glandulae recuperaverint.

DIAGNOSIS.

Diagnosis hujus morbi facilis, ab ulcerato rene vel vesica; quia in hisce pus non nisi cum urina egreditur. Facilis quoque a Gonorrhoea nimio

labore

labore inducta ; quia tunc nullus dolor, nulla dysuria, nullave malignitas.

PROGNOSIS.

Gonorrhoea, dum materia flava, aut alba, aut spissitudinis idoneae, copiosè fluit, aliaque signa moderata sunt, periculo vacat, et majore vel minore tempore, pro signorum violentia, materiae inficientis acrimonia, et sanguinis habitu, &c. facile sanatur. Si autem longius progressa inflammatio, et si nimiùm relaxati sint ductus excretorii, longum erit antequam statum pristinum recuperabunt ; haud raro quoque materiae destillatio (*gleet* dicta) durabit. Luem veneream Gonorrhoea rarissimè faciet, si sibimetipsi relinquatur ; si autem incautè sistatur, virus per vasa lymphatica in glandulas inguinales vel in sanguinem viam inveniet, et bubonem aut luem veneream producet.

PROPHYLAXIS.

Haud alienum erit priùs, pauca edere de infectione praecavenda, quàm ad methodum medendi progrediar,

progrediar, quod et plerique auctorum fecerunt: ita partium lotionem aquâ tepidâ post coitum suspectum, laudant BOTTALUS, ALMENAR, TOMITANUS, FALLOPIUS, et * BORGARUTIUS; quorum ultimus, omnibus morbum Gallicum suspectantibus tutissimum fore, dicit, si post coitum, penis et scrotum aquâ calidâ cautè et repentè laventur. † HOFFMANNUS quoque aquam *d'Arcbusade* dictam, cum spir. vin. camp. et succin. internè; vel spir. c. c. succin. bezo. nitr. camp. aliaque sudorifica, praescribit.

Si in urethram, eo quem conatus sum ostendere modo, devehatur virus, per aliquot saltem dies, in interna urethrae superficie perstabit, indeque haud erit difficile venienti occurrere morbo, aut adeo saltem debilitare, ut brevi tempore discedat.

Utilissimum esset omnibus, qui sibi ipsis concubitu vago indulgent, glandem ante coitum unguento aliquo illinere, quod et poros et lymphaticorum ora obstruat, luem veneream instantem antevertat; post coitum quoque, instrumentum exploratorium lino involutum in eam urethrae par-

 tem

* Vid. Aphrod. tom. ii. p. 132.
† Vid. Med. Syst. Rat. tom. iii. p. 366.

tem quae minimè comprimitur, immittere, ut mucum abſorbeat, et ol. amygdal. dulc. ut quod reliquum eſt acrimoniae obtundat, poſtea in urethram injicere oportet. Haec enim maximè proderunt, etiam cum penis rima rubeſcere et dyſuria ſupervenire inceperit.

MEDENDI METHODUS.

Supra oſtendere conatus ſum, virus venereum in urethrae cryptulas incidens, ad eaſque partes humorum fluxum excitans, inflammationemque, &c. faciens, Gonorrhoeae virulentae cauſam eſſe; indeque patet medendi methodum hujuſmodi inſtituendam eſſe.

1mo, A partibus laborantibus humorum fluxum avertere.

2do, Ardorem urinae tollere, virus obtundere et expellere.

3tio, Partes corroborare, et ad priſtinum ſtatum reducere.

1mo, In hoc, ut in aliis omnibus morbis inflammatoriis, ab initio venaeſectione liberè utendum eſt, ut aegri vires ferre poſſunt, et ſymptomata poſtulant: ſic enim fluidorum impulſorum momentum et vires minuentur, vaſorum diſtentio et ruptura praecavebuntur, vaſiſque obſtructis copia erit fluida ſtagnantia diſcutiendi, et circulationem aequabilem promovendi.

2do, Poſt venaeſectionem, veneni expulſionem, evacuationem et dilutionem nihil magis promovebit, quàm vaſa implendo talibus liquoribus, qui omnia etiam parvula permeabunt: e. g. Emulſione Arabica, altheae et ſem. lini decoct. cum parva copia nitri; ea enim, circulatione ad partes irritatas delatâ, ſeſe veneno fluidiſque obſtructis inſinuant et diluunt vaſorum actione, ac ſeipſa interſerendo inter veneni ſpicula particulaſque obſtruentes, a ſe invicem divellunt; conſtat enim omnia menſtrua aquoſa venena cujuſcunque generis inertia reddere. Parvularum cryptarum ſecretionibus tali modo auctis, iiſque liquoribus per arterias exhalantes tranſeuntibus; inde menſtruum ſuppetit, quo virus in urethram abluetur, et ſecretio uberior a renibus facta, virulentiam quae diſſolvitur, et a

ductibus

ductibus excretoriis in urethram ejicitur, e corpore urinae torrente devehet.

Si alvus nec ultro, nec usu decoct. supra dictarum laxetur, quotidie aperienda est manna crem. Tart. sal. Glaub. &c.

Cathartica fortia inflammationis tempore nunquam sunt adhibenda, nec Gonorrhoea purgantibus medenda est; quantamcunque huic methodo auctoritatem consuetudo dederit.

* SYDENHAMUS sanguinem infectum esse, et purgationem quotidianam optimam methodum esse credidit, cui eo usque insistendum est, inquit, donec urinae ardor, et color flavus materiae seminiformis admodum imminuatur. Haud satis quidem dolendum est, morem illum fortia exhibendi cathartica tantum invaluisse: Experientiâ enim omnium, qui hoc morbo laborant, urinae ardorem *cordee*, &c. eo quo alvus purgatur die, augeri constat.

Sed

* Vid. Sydenham. p. 333.

Sed praeterea, cathartica ſtimulo ſuo inteſtinorum motum periſtalticum augent, parteſque liquidiores ibi contentas alvo expellunt; indeque renum ſecretiones minuentur, nec virus quod diſſolutum, et in urethra depoſitum erat, inde urinae torrente abluetur. Nullam, denique, hac methodo noxiorem ſcio; digeſtionem enim impedit, vires imminuit, ſanguinus idioſyncraſiam perdit, Gonorrhoeam non virulentam et imbecillitatem ſeminalem inducit, quae in aegris, praeſertim delicatis et hecticis, ad ſupremum uſque diem haud raro permanent.

Mercurialia eatenus tantum, ni fallor, in Gonorrhoea proſunt, quatenus humores attenuant et veneni evacuationem augere poſſunt; ſed fluidis velocitatem impertiunt, itaque nocent.

Astrucius etiam, quanquam remediis mercurialibus quam maximè confidebat, ea tamen in Gonorrhoea ſananda omnino excludit*. "Uſus autem "frequens et iteratus praeparationum mercurialium "indies obſoleſcit, nec immeritò meâ ſententiâ. "Medicamentorum enim talium uſu ventriculum "debilitari vireſque minui conſtat, quod haud

"parvi

* Lib. 3. p. 233.

"parvi eſt; ſed quod adhuc majoris eſt momenti, "ſanguinis acrimonia adeo augetur, ut ulcera "quae receptaculis ſeminalibus latebant, ſanguine "acriore reddito, maligniora fiant et ſanatu dif- "ficiliora. Saepenumero vidi, nec dubitandum "eſt alios medicos idem vidiſſe, mercurialibus "etiam cautè adhibitis, dyſuriam decedentem "denuò reſtitutam, et humorum fluxum prope "exſiccatum, priſtinam virulentiam recuperan- "tem, ut ex colore flavo et viridi clarè ap- "paruit."

Quid alii de iis, quae contra purgantium et mercurialium uſum dixi, ſentiant neſcio; mihi autem adeo arrident, ut nunquam ſine horrore in memoriam revocare queam miſeros hoſce quos ad ſtatum peſſimum tali methodo redactos vidi.

Nemo vero putet me in Gonorrhoea purgationem omnino excludere, nihil minus; haud enim me latet utiliſſimam eſſe cum teſtes, perinaeum &c. tument, ubi cita revulſio ad ea quae ſuppurationem ſequuntur antevertenda neceſſaria eſt. Nec mercurialia omnino excludo; fateor enim, frictionem mercurialem perinaeo applicatam optimos effectus producere poſſe. Mercurii enim par-

ticulae,

ticulae, ſeipſas per cutis poros, et vaſa lymphatica a ſumma cute orientia inſinuando, ſenſim in ipſam partium laborantium fabricam viam invenient, et veneni particulas corroſivas penitus comminuent et delebunt, atque ita mercurius itinere breviſſimo ad virus perducitur, efficaciſſimus eſt, nec ſymptomata pejora reddit. Quoniam morbi ſedem initio ſaltem injectionibus patere ſupra oſtendi, haud abs re erit iis uti ad urinae ardorem allevandum, et veneni ſpicula obtundenda, et e corpore abluenda. * Sacchar. Satur. in aqua ranarum ſpermatis injectiones, in hunc effectum, praeſcribit Astrucius. Supra obſervavi Gonorrhoeam veneni venerei criticam eſſe excretionem, inde ſequitur ut quodcunque fluxum ſiſtit, virus in ſanguinem abſorbeat; nihil autem hoc efficacius facit quàm injectines ſacchar. ſatur. quod aſtringens fortiſſimum eſt. Caute adhibendae ſunt omnis generis injectiones, etiam ſimpliciſſimae: Aquam enim hordei in urethram frigidam injectam fluxum ſiſtere vidi, et ni fallor, injectionibus plures in luem veneream inciderunt quàm omnibus aliis remediis.

* Vid. Lib. 1. p. 265.

Complures

Complures novi qui injectionibus ſpecificis plurimum confidebant, iiſque utendo credulitatis poenas luerunt.

Vulgò creditur, injectiones mercuriales, eas praecipue quae calomel. praeparantur, qualitatem ſpecificam habere; eas tamen inflammationem gravem nonnunquam inducere vidi; nec mirum eſt, calomelas enim in nullo menſtruo ſuſpendi, vel adeo ſubtile fieri poteſt, quin particulas nonnullas in urethra relinquat, et ita vellicationem excitet; omneſque praeparationes mercuriales, ut ſublimata corroſiva, &c. quatenus mucum, quo virus continetur, abluunt, noxiae ſunt; urethrâ enim muco ſuo privatâ, urinae ſal inflammationem augebit. Injectiones omnes, niſi ſimpliciſſimae ſint, ductibus parvulis excretoriis admotae, ora eorum anguſtiora reddent, et ſecretionum exitum prohibebunt: cum autem ſecretiones veneno mixtae in ſanguinem reverſae fuerint, brevi ſigna viſu terribilia edunt; et cum aliquamdiu gyrum ſanguinis iniverint, nec exitum invenerint, totum ſanguinem corrumpent, aut virus diſſipatum ſeipſum in unum locum colliget, et bubonem, ulcus, exoſtoſin producet. Non ſolum autem virus includunt, ſed urethram con-

trahunt

trahunt et indurant, ſtricturas, iſchuriam, teſtium tumores, &c. efficiunt, quae ad ſupremum uſque diem fortaſſe durabunt: conſtat igitur nunquam adhibendas eſſe, niſi veneno expulſo et inflammatione ſubacta. Omnium tutiſſima et efficaciſſima eſt injectio ol. amygd. dulc. vel ol. oliv. rec. ea enim in urethram injecta muco adhaerebit, et ſe in cryptas parvulas et urethrae loca vicina inſinuabit, et veneno immiſta ſpicula ejus obtundet, partes relaxabit, et adverſus urinae ſalis vellicationem urethram muniet.

Ut dyſuria et dolor minuantur, camphor. paululum, et opii grana aliquot, oleo addere licet. Peni et perinaeo cataplaſmata emollientia et fomentationes adhibendae ſunt, ut vaſorum tenſio et reſiſtentia relaxentur, et ſtrictura urethrae etiam removeatur; glans aquâ tepidâ ſaepe lavanda eſt, ut auferatur materia quae ibi ſtagnans partes erodet, et ulcera, phimoſin, &c. producet. Durante inflammatione, aeger abſtineat venere, aromaticis, liquoribus calefacientibus, nimio exercitio, et victus ſit levis et concoctu facilis.

Tertius hujus morbi gradus eſt, cum aeger e-rectione involuntaria, titillatione et dyſuria liberatur, et cum fluxus albus, flavus et ſpiſſitudinis idoneae fit, Gonorrhoea non virulenta (*a Gleet* dict.) a nimia laxitate ductuum excernentium cryptarum urethrae parvularum venit. Hic fluxus aliquando poſt veneni expulſionem diu manet, et in aegris debilibus ſaltem omnem medicinae vim interdum ſuperat, et tempore et patientia ſola ſiſtendus eſt. Hic morbi gradus longè alia ratione a prioribus tractandus eſt, corroborantibus, ſcil. Attamen haud omnino idoneum eſſet, ſimulac ſymptomata mitiora fiunt, aſtringentibus ſtatim uti, ne aliquid veneni adhuc lateat et in ſanguinem abſorbeatur: difficile enim eſt tempus definire quo corpus omni veneno vacat; de hoc, a ſymptomatum remiſſione et ſimilibus, quae interdum fallunt, judicandum: nec iis ſemper credendum eſt; veneno enim expulſo, dyſuriam accidiſſe, et ad obitum uſque duraſſe vidi; fluoris ſpiſſitudo ſignum prope unicum eſt, quo medicus tutò nitatur. Utilius igitur erit a ſtimulantibus mitioribus prius incipere quàm ad corroborantia fortiora progrediamur; rad. rhabarb. remediis terebinth. aut ſimilibus, tinct. canthar. parvâ doſi interpoſitâ. Si hac methodo diebus aliquot

quot insistatur, nec fluxus interea cesset, sed spissitudinis idoneae fiat, auxilium deinde ab astringentibus fortioribus, * bals. astring. pil. terebin. elect. Peru. stypt. cont. Japon. tinct. antiphth. petendum est, aut † sacchar. Saturn. in ol. terebinth. leni calore dissoluto paululo camphor. addito, quod ab HOFFMANNO ut remedium certissimum celebratur. Ad eundem scopum attingendum, remedia topica in usum vocari debent; inter alia, vix quoddam melius respondet, quam calidi aceti vapores in urethram immissi, et hoc modo tentari queat; Aceti copia in urceolum angusto ore infundatur, ac in illud lapides ardentes immittantur, glans nudata in urceoli os inseratur, cataplasmata farinae avenaceae cum aceto et oleo, peni et perinaeo applicentur. Injectiones aquae calcis et lactis adhiberi possunt; si autem omnibus hisce remediis fluxus non cedat, tunc utendum est astringentibus fortioribus, solutionibus, scil. mitibus, sacchar. Saturn. vit. alb.

Cavendum tamen est, ne eo usque exhibeantur, ut urethram indurent, ischuriam et stricturas inducant, aegrúmque candelis cereis uti cogant, quod nonnunquam fit. Aquarum mineralium usus et

balneum

* Vid. Pharmac. Pauper.

† Vid. Clav. Pharm. Schrod. lib. 3. cap. 15. art. 1-6

balneum frigidum ſaepe pluris ſunt quam omnis materia medica ; balneum ab initio ad finem uſque tutò adhiberi poteſt. Æger victu reficiente, ſed non calefaciente, utatur, et a venere, poculis, cibo nimio et ſaltatione abſtineat.

F I N I S.